



BIBLIOTEKA  
Zakl. Nar. Im. Ossolińskich

XVII


554


















AD ILL<sup>MVM</sup> AC R<sup>MVM</sup> DOMINVM

D. IOANNEM

ZAMOYSKI,

ARCHIEPISCOPVM

LEOPOLIENSEM.

In primum sui Archiepiscopatus ingressum.

Gratulatio.

M. ADAMI OPATOVII, IN ACADEMIA  
Cracouiensi Professoris.



CRACOVIAE,

In Officina Lazari, Bazylus Skalski,

Anno Dñi 1604.

11.515



AD ILLM AC RVM DOMINVM  
D. IOANNEM  
SAMOYSKI  
ARCHIEPISCOPVM  
LEOPOLITENSEM

in prima Archiepiscopatus circumscriptione

Graciov.



M. ADAMUS OP. IN ACADEMIA  
Graciovni Professore.



XVII - 554 - III

GRACOVIA  
In Officina Lazari Bazylus Szklarski  
Anno Domini 1804



G R A T V L A T I O. 

VANTAM LÆTITIAM, VNI-  
uerso Polonorum Regno, opta-  
tissimus nuncius, de sublimi, tuis-  
que amplissimis virtutibus ac me-  
ritis, debito honore delato, acce-  
ptus attulerit: Ill: Antistes, cùm ex illa receti supe-  
rioris temporis voluntatum significatione intel-  
ligi potuit, cùm summa dignitate viri, omnis itẽ  
ordinis, ac conditionis, suis in te certantes stu-  
dijs gratulabundi accurrebant: tùm verò die ho-  
dierna, ex hoc celeberrimo Illustrium virorum  
comitatu, quem tui Archiepiscopatus urbem in-  
grediẽs, vndiquaq; circumfusum ducis, & ex hac  
omnis generis ac ætatis multitudine tibi obuiã  
effusa, certò animaduerti potest. Quam enim  
lætitiã gestientis animi, summi ac nobilissimi  
Regni huius viri, intra suas domos continere non  
valebant; eam vt hoc tam celebri tempore decla-  
rarent ac testarentur, frequentissimi adsunt; nul-  
la aut remotissimi itineris difficultate ac mole-



stia deterriti, aut rerum domesticarum cura retardati; tibi præsto sunt, te honoris causa, cum longis ac splendidè instructis famulorum ordinibus deducunt, tibi hanc amplissimam dignitatem, ornamento, & saluti, euenire gratulantur. Ipsa verò Leopolis, tui Archiepiscopatus sedes, veteris squaloris & lachrymarum oblita, suis propè conuulsa sedibus, ad tuum complexum videtur procedere, cum ex augustissimis & religiosissimis templis, magnifico plenoque religionis ornatu, veneranda sacerdotum agmina emittit; cum inclytum Senatum, & semper ingenij laude, liberaliumque disciplinarum gloria longè celeberrimum producit: cum omnis ordinis, fortunæ, loci, infinitam hominum multitudinem, vultu & oculis commune gaudium designantem, è suis moenibus ac portis effundit. Ad extremum effusiones hominum ex oppidis, concursus ex agris patrumfamilias cum coniugibus & liberis, viæ frequentia hominum vndique confluentium celeberrimæ, accessus ad urbem incredibili gratulatione florentissimus; nonnè satis & abundè inusitatam



inufitatam lætitiæ voluptatem videntur designare? cùm quocunq; progredieris, quocunq; oculorum aciem reflectis; omnia lætitiæ, faustis acclamationibus personare exaudis. Et quamuis non ignoro, plurimos summo ingenio viros, summaq; dicendi copia præditos, & iam esse, & olim longè plures futuros, qui & hanc insignem lætitiæ, & solennem huius diei festiuitatem, ad æternam posteritatis memoriam consecraturi sint; erit tamen credo, & huic nostræ mediocritati locus, conatusq; hic, in tuis præsertim prope diuinis laudibus recensendis, cùm multorum favore ac beneuolentia fouebitur, ac prouehetur; tum verò tua Ill. An: incredibili lenitate animi, studiosisq; ingenijs abundè explorata augebitur atq; efflorescet. Et cùm sint multiplices, eadēq; diuersæ causæ, quæ die hodierna in omnium animis, hanc tantam, tamq; iucundissimam voluptatem concitant, adaugentq; ; duæ tamen primariæ, omnium sermone celebrantur, atq; in primis omnium propè literarum monumentis celebrabuntur, quòd Ecclesia orbata, grauissimq;



moq; confecta luctu, desideratum Archiepiscopum suo complexu recipiat: atq; equidē eum, qui sit illis antiquissimis, & sanctissimis maioribus, & vitæ sanctimonia, & scelerum odio, & iustitiæ amore, & veteris disciplinæ cupiditate, perquam simillimus. *ib.* Quis enim post luctuosam mortem, illius optimi & omni immortalitate dignissimi Archipræsulis, non ardentissimis votis, primo quoq; tempore, non dissimili probitate, successorem exoptabat? Quis renunciatum quamprimùm intueri, & coram affari, illiusque admirabilem clementiam, & vultu, & sermone, & toto deniq; corpore prominentem, admirari, non summopere desiderabat? Quis ingressuro, non aut quàm longissimè obuiam cum suis omnibus procedere, aut signis monumentisque pulcherrimis publicam viam exornare, ipsumq; vrbis forum erectis ad pulchritudinem singulari opere artificū columnis, instruere, ex animo non cupiebat? Quæ tam præclara desideria, cum hoc longè omnium iucundissimo tempore, felicissimi ingressus tui expleta ac perfecta sunt,

merito



meritò vniuersi læticijs omnibus incedunt, meritò hos tuis summis virtutibus honores exhibent, meritò hæc tanta, quanta maxima possunt, tuo in animas regimini, insignia ac trophæa publicæ hilaritatis constituunt. Sed cùm hos exultantes animorum motus ex te optimo principe, diuino beneficio, magnoq; consilio Serenissimi Regis, Ecclesiæ oblato, concitatos esse intelligam; operæpretium me facturum arbitrabor, si commemoratione tuarum Heroicarum virtutum, ad conceptam in animis voluptatem continuandam, & perpetua memoria recolendam, quasi signum quoddam dederò. Quod quidem, meæ quamuis mihi tenuitatis conscius, eò libentius, & audacius suscepi; cùm ea sit rerum à te præclare ac fortiter gestarum magnitudo; vt ei nulla ingenij & orationis vbertas, nullus verborum lepos, nulla grauitas sententiarum, quadam ex parte possit sufficere. Et quanquam te non maximi æstimare sciam, præstantissimas nobilitatis imagines, & ea ornamenta familiæ, quæ ipsi non fecimus, sed virtute & industria



maiorum parta retinemus; non patiar tamen, quin nobilissimi generis tui splendorem, oratione mea commemorem. Hoc etenim, inter ornatissimos Polonæ gentis homines, & nominis sui celebritate, & inclyti generis antiquitate, & iam longè lateq; ad remotissimas nationes, diffusa rerum tuarum gestarum gloria, resplendet. Postea quam enim, nobilitatis tuæ decus, tanquam facem per manus à maioribus traditam recepisti, hoc vnum, in illa ætate nondum consilio & ratione firmata agebas, hoc sedulus cogitabas; ne non modo aliquo in negotio, abiecto & degeneri animo, illius luminis claritatem perstringeres: sed quo in grauissimis Reipub: muneribus, excelsi ac inuicti animi magnitudine, ac dexteritate, in maius accenderes. Nec ab hoc tam laudabili proposito, supremi rerū omnium moderatoris Dei, præsentissimum numē abfuit: maximarū enim rerum, ac difficillimarum munera, à Serenissimis Poloniae Regibus commissa, summa omnium cum admiratione sustinēs, nouo quodam & inusitato meritorum & laudis lumine,



mine, genus tuum illustrasti. Cuius rei, iam tum nō mediocria dabas signa, cū incertā ac lubricam adolescētiae ætatem ingressus, acerrimum bellum, cum ijs blandimentis gessisti, quibus hæc ætas capi ac deliniri solet. Atque, vt Poetæ memoriæ prodiderunt, Herculem nuper in lucem editum, duos ingētis magnitudinis angues, cū ad se suffocandum magno cum impetu voluerentur, exsertis è cunis manibus prehensos collisisse, atque oppressisse: ita tu nouus Hercules, luxurantium affectuum perturbationes comprimebas, blandissima voluptatum lenocinia remouebas, ipsaque teterrima flagitiorum portenta, tanquam certissimas optimarum mentium perniciēs, iugulabas. Postquam verò, ex illo optimo impurissimi Imperatoris magistro, inaudiueras, quòd generosos animos labor nutriat, & quòd otium sine literis mors sit, & hominis viui sepultura; confestim deposita ex animo rerum cæterarum cura, ad salutaria optimarum artium præcepta, & aures, & animum, & omnem cogitationem, cōtulisti, primaq; literarum tyrocinia



in Academia Cracouieñ deposuisti. Tandem, quæ toto orbe disciplinarum Gymnasia, Romæ nimirum, & Parisiis celeberrima feruntur; in his complures per annos, excellētis cuiusdam cum ingenij celeritate, & multiplicis doctriinæ admirabili cognitione, commoratus es. Cùm verò, iam illud ætatis tempus venisset, quo Respub. & cōsilio tuo, & opera, vti poterat, non in longum differēs eius desideria moratus es, sed siti adhuc, & cupiditate, destinatarum animo scientiarum flagrans, quam celerrimè accurristi. Vt facilè intelligerent omnes, quòd illam gloriosam profectiōnem, huius solius causa, susceperas, ex cuius nutu & voluntate eandem moderaberis. Graui tunc mœrore, & acerbissimo luctu, regnum vniuersum afflictum squallebat, immaturam mortem Sigismundi Augusti optimi & fortunatissimi Regis deplorans, præcipuè verò, de summa rerum pertimescens, cùm & in Rege surrogando cōsiliōrum pœniteret, & exortæ seditionum procellæ, (ita vt fit, vbi Reges absunt,) propè in dies ingrauescerent. Diuina tamen misericordia, ha-



dia, harum tempestatum moderator, & animo, & consilio, & facto, magnanimus vir, Iacobus Vchanfcius, Archiepiscopus Gnesneñ obtigerat: qui cùm alijs permultis magna prudentia, & doctrina viris; tum verò te recens conspecto, & plurimum adamoto, ad illos dissensionum fluctus tranquillandos, sæpenumero vtebatur. Præcipuè verò, cùm maioris & minoris Poloni, & nobilitate, & existimatione, amplissimi homines, quibusdã de causis, hostilem in modum iracundia exarserant, & iam eò animis propendebant, vt rem ad arma deducerent, & in sua viscera sæuirent: Ecce autem, vbi tu ab illo prudentissimo Primate Regni, missus legatus ades, tuamq; de rebus commissis sententiam cum dignitate explicare incipis; continuò illæ turbarum moles subsidunt; irarum æstus, auidissimi ciuiũ sanguinis refrigescunt: odia inueterata, & in apertum discrimen armorum erumpere cupientia, franguntur, & deponuntur; omnesq; se tuæ potestati permittunt, omnes te suæ causæ, atq; iuris cognitorem decernunt, omnes dubiæ & contro-



uerfæ litis, arbitrum conftituunt. Summis laudibus, adolefcens Curtius, à fcriptoribus P. R. extollitur, quòd fe in hiatū terræ, qui vrbi lethalem peftem adflabat, pro falute ciuium deuotū præcipitem egerit: hoc verò tuum præftantiffimum factum, quo adolefcens domeftici belli incendium extinxifti, à ciuium iugulis diftrictos gladios repulifti, innumeros ad cædem deftinatos conseruafti; quibus tam honorificis verbis, quibus tam digniffimis laudū prædicationibus, rerum in Polonia geftarum fcriptores, celebra bunt? Poftquam verò, veteribus adhuc inimici tijs, laborãtis regni gubernacula, bellicofiffimus, plurimisq; victorijs clariffimus Rex, Stephanus Batthoræus, fufcepit, pro confuetudine inaugu ratorum Principum Chriftianorum, non prius ad negotia regni multis difficultatibus impedi ta, animum adiecit; quàm virum aliquem inte gritatis, & eruditionis fpectatiffimæ, cum lega tionis munere, ad fanctiffimam Sedem Apofto licam mitteret. Quem autem, hoc negotio ple no dignitatis commodius ornaret, præter te, re-  
perie-



periebát neminem : tu illi vnus , suauissima morum grauitate , tu mirifica scientiarum copia & varietate , tu summa prudentia , ad publicas res cum dignitate gerendas , cæteros antecellere videbare. Quod tu , non grauatè , & tanti Regis & Reipub: causa suscepisti , susceptum singularibus & ad id à natura concessis & animi & corporis donis gessisti. Iucundè audiebat Sanctissimus Pontifex , Gregorius XIII. tuam illam dicendi grauitatem , illamq; orationis vim commodè luminibus distinctam & illustratam , qua apud illum regis mandatum exponebas : admirabatur amplissimus orbis terrarum Senatus , tanta sapientia viros , in hac Sarmatici cæli inclementia reperiri : quos verò , ad tuam consuetudinem aliquantum admittebas , hi humanitatis ac beneuolentiæ tuæ suauitate deuincti , nunquam iucundissima coniunctione tua expleri valebant. Quare , quod olim Cn: Pompeium , in partibus Asiæ cum imperio versantem , suis nobilissimis virtutibus præstitisse M. T. refert , quòd eum sicut aliquem , non ex illa vrbe missum , sed de cælo delapsum ,



intuebantur, & quòd tunc denique incipiebant credere, fuisse homines Romanos, hac quondam abſtinentia, quod iam nationibus exteris incredibile, & falſo memoriae proditum videbatur. Ita tu, cum maximis Reipub: mandatis, in illis locis morans, ſummis ornamentis honoris, virtutis, ingenij, doctrinae effeciſti; vt te non ex hac gente, ſed ex alia oriundum arbitrarentur; & quæ opinio de noſtrorum hominum barbarie, & morum aſperitate, illius præcipuè nationis mentes occupauerat, eam tu non inuitis eripuiſti; vt hic paſſim, inter doctos emanaret ſermo, periculum eſſe, ne humanitatis & literarum ſtudia, cum elegantia, & morum comitate, in noſtram penitus commigrarent regionem. Quod legationis munus tam præclare conſectum, quam eſſet gratum Regi, cum ex innumeris illius in te liberalitatis, & magnificentiæ proſectis argumentis, vniuerſi conijciebant; tum verò perſpicuè intellexerunt, cum, vix dum ſuperiori itinere collectum puluerem excuſſeras, vix valetudinem multis viarum incōmodis afflictam receperas, cum  
iterum



iterum cum maximis præmijs, ad euocandos celeberrimos tota Italia scientiarum professores, à Rege Dantiscum oppugnante legaris. Quod sapientissimi Regis factum, non eo consilio, vt quidam interpretabātur, susceptum erat, tanquam in Academia ingeniorū, vtriusq; linguæ, omnisq; solidioris doctrinæ foetus repressus, exustusque flos, siti veteris vbertatis exaruisset: sed quo Christiani orbis principibus planum faceret, se quoque præstantissimis rebus, affectare viam ad gloriam, & in earum comparandam copiam, Regias quoque opes effundere paratum esse. In cuius rei testimonium, te apello. Ill. An: qui tunc illius consiliorum particeps, & illius negocij trāfigendi pars magna eras, (quem si aliter dicerem, impudentiæ meæ testem compellare non aude-rem,) quàm æquo animo, quàm hilarivultu, eam rem quamuis non ex animo transactam tulerit, quàm sibi abundè satisfactum esse credebat, quòd ab hoc tam eximio studio, ad hominum famam & existimationem, doctissimorum viro-  
rum commendatione, & iudicio paulò latius  
proflue-



proffuebat. Quo munere perfunctus, cùm alias ex aliis curas, & difficultates, mutuò se excipientes, Regis imperio sustinebas, & optatissimo fini reddebas, tum verò, cùm ita arduæ, & difficiles causæ Reipub: postularēt, ad Archiduces Austriæ & Principes imperij legatus discedis. Quo in negotio dici non potest, quàm te solertē, quàm strenuum, quàm fidū, tuo Regi præbuisi, quàm Reipub: dignissimum, propter illam tuam, in omni actione seruata auctoritatem, & prudentiam admirabilem: quàm deniq; illis omnibus amabilem, propter accomodatissimam ad hominum voluntates excipiendas, & pertractandas, viuendi consuetudinem. Cùm verò innumerabiles casus, incertiq; euentus valetudinis ad omnium mortalium perniciem coniurant, nec cuiquam fatis cautum est, quid vitet in horas, maximè verò, cùm

Pallida mors, (vt Lyricus canit) æquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumq; turres. Batthoræus ille, religionis, auctoritatis, fortitudinis, prudentiæ, planè regiū exemplar, alienissimo

Reipub.



Reipub: tempore moritur, virtutum suarum triste vniuerso regno desiderium relinquens. Hoc tam inopinato nuncio, omnes regni ordines percussi, atq; exanimati, postquam ex consuetudine conuocati accurrerūt, omnes tibi vna voce ad Rodolphum II. Imperatorem, tristissimi nuncij legationem demandârunt. Proficisceris tu, nulla recusatione vsus, & facie & cultu corporis, acerbissimum mærentis animi dolorem, vnâ cum tuo comitatu referens, & in quauis itineris parte, mæroris tui singularia vestigia relinquens. Vbi verò tibi Imperatoris ad eundi potestas facta est, & vbi plena grauitatis voce, duram sortem famulatus tui, & grauissimum regni ex optimi regis interitu mærorē significabas, atq; adeò cum ex frequenti regis cōmemoratione, oculi tibi lachrymis suffundebātur; ipse Imperator cum suis proceribus, diu cælatum dolorem continere non valens, collachrymauit. Vt primū autem, delatas sibi regni habenas, pientissimus ac prope diuinus princeps, Sigismundus Rex (qui nunc foelicissimè regno præest, atq; vtinā, quod



omnes communis salutis causa, & Reipub: & illius, velle & optare debemus, quam diutissimè præsit,) regendas suscepit, primum omnium, quod ita publicæ vtilitati expedire animaduerneret, de viro, magno rerum vsu exercitatissimo cogitare coepit, & sollicitè inquirere, cui tutissimò ad Turcarum Imperatorem mandata daret: sed post multas prudentissimi Regis consultationes, quas cum primarijs regni senatoribus cōmunicauit, vnus tu omnium volūate ac iudicio, tanto muneris aptissimus, repertus es. Itaq; tibi clementissimus Rex, hoc totum operosum negotium, verbis diligentissimis cōmendat, & in tuos humeros reclinat. Succedis imposito muneri, vultu nō mutato, qui secundū Deum, nihil vnquam Patria, & Rege tuo charius, nihil religiosius, nihil sanctius æstimabas, nec quicquam magnitudine sua, tam laboriosum, aut præsentis periculi formidine tam horrendum ducebas, quod eorum causa adire recusares. Quod voluntatis tuæ deuotum studium, hoc cōprimis legationis tempore declaratum est, cū iter illud, à prædonibus



bus & hominibus facinorosis obsessum intrepide, & sine aliqua aut comitatus, aut fortunarum iactura euasisti, aut cū in ipso loco, falsò tibi obiectas per imprudentiam contumelias, & ea quæ tibi creabantur pericula sapienter, moderate, tollerasti atq; superasti. Quis non exhorresceret, si falsi nunciij crimine insimularetur? quis animo non cōcideret, si ea opinio maioribus indies confirmaretur rumoribus? quis non contremisceret toto corpore, cū videret hospitij sui fores a custodia Imperatoris hostili diligentissimè obseruari? quis sibi ad extremum constaret, si dies atq; noctes, anno ferme integro, in tanta trepidatione transigendæ essent? Tu hæc omnia, tu ipse, Ioannes Zamosci, inuictò ac excelso animo, sustinuisti, cū illam nescio cuius crebris sermonibus vsurpares sententiam, tuosq; ad benè sperandum animares: Omnia bonis auspicijs geri, quæcunq; pro Patria gerantur. Ô vocem verè ingenuam, & liberali homine dignam: quæ enim in illa morum feritate, conuenientior dici, aut excogitari potuit? quæ aptior reperiri, ad



tuam illam nobilissimam familiam, ex metu cōsternatam, erigendam atq; consolandam? Sed cū tandem fallaciarum caligines, veritatis luce discussæ sunt, & dolus apertus, omniumq; sermone, etiam in vulgus emanauit, te verum ac legitimum Regni Poloniae legatum esse: qui tum, quàm honorifici, quàm celeberrimi, Procerum illius imperij concursus ad te fiebant, quantis & quàm copiosis verbis, & sui animi, & Imperatoriae voluntatis, studia tibi deferebant: ipse ad extremum Imperator, summo te honore affectum, & maximis muneribus ornatum, cum suis ad Regem responsis dimisit. Reditus verò tuus quàm gratus fuerit benignissimo Regi, quàm Reipub: gloriosus & salutaris, propter fidelissimum studium, curamq; diligentissimam, in tanto officii tantoq; munere probatam; quis erit tanto ingenij flumine, & tanta orationis copia, qui se consequi posse fateatur? Sed dum adhuc, tuorum in Rempublicam meritorum, iucunda recordatio, in omnium ore versatur, nuntiatur de hostium numerosi exercitus irruptione, & à

fortif-



fortissimis viris, qui in illis partibus pro pace publica excubant, quotidie literæ afferuntur, quibus de hostium immanissima crudelitate significabatur, & qua ratione agros, & prædia, ferro & igni vastarent, ac depopularentur, nobilissimos viros fortunis omnibus deijcerent, ac expellerent: oppida, Ciuitates incenderent: Ciues sociosq; nostros, in seruitutē abducerent, familias abriperent, pecora abigerent. Habuit eo tempore, mitissimus Rex, æquissimas fœderis rumpendi, & belli inferendi causas; sed cū sciret sapientis esse, prius consilio quàm armis experiri; te iterum, in Turciam cōquestum de grauissimis iniurijs, prædis, rapinis, latrocinijs, crudelissimi exercitus ablegat. Quam Reipub: causam quanta prudentia egeris? quanto consilio promoueris? hoc vnum apud omnes locupletissimè testatur. Quòd enim, illam Regni partem, hucusq; tranquillam & pacatā habeamus, quod liberi agrorum cultus, quòd illæ solitudines cāporum iam frequentissimè habitentur, tam liberè excolantur; magnam partem tuæ summæ



virtuti, & prudentiæ, acceptã referre debemus. Quo in loco, quin exclamem, non possum mihi persuadere; singulari immortalis Dei beneficio, datum esse Reipub: Zamosciorum genus, & nomen, ad libertatem gentis Polonæ tuendam: quos enim regni fines foelicissimus, & semper in dubijs Reipub: temporibus reseruatus, exercituum Dux, armis profert, & conseruat: eos hic præclare, & sapienter legationes obeundo, externa finitimorũ amicitia, confirmat & stabilit. Quod quidem illis, vtinam omnium misericordiarum clementissimus Deus, faxit proprium & perpetuum. Quid verò? præteream ne? in hac amplitudine tuorum immortalium gestorum, locupletissimam amoris tui in Academiam testificationem, quam rediens iterum à negocijs Turcicis exhibuisti? Plurimis te discedentem, Imperator Turcarum donauerat preciosis rebus, multa veste stragula, & magnificis operibus picta, varia suppellectile aurea & argentea, præcipuè verò quodam vase argenteo inaurato, operis præclari, & grandis pōderis, quod sui apud te perpetuam



tuam memoriã refricaret. Hoc tu, *θερα λήρια* studens Academiae persoluere, & memor, ea te non potuisse consequi, nisi olim puer illius fidelissimis præceptis imbutus esses, quod carissimũ habuisti, & tuis laboribus & periculis partum, redonasti. Quam quidem pietatem tuam, & æterna memoria colemus, & singulis anni partibus, pro Regni, ac Regis nostri foelicissimo successu, cæterisq; Academiae patronis, supplicantes Deo, tibi quoq; preces nostras non defuturas pollicemur. Atq; equidem perfuncta amplissimis rebus, ætas tua ingrauescens, & in senium deuexa, meritò à Repub: tanquam in portum, non inertiae, sed ocij moderati, atq; honesti cõfugere debebat, & quod reliquum vitæ erat, in repetenda de integro studia insumere. Quod quidem tibi pro tuis maximis, & infinitis in Rempub: meritis, vel instar præmij concedi debuit. Et enim, si Romani milites, qui quadragenastipēdia in bello meruissent, ex lege iuramento soluebantur, illisq; ex publico alimenta præbebantur: si Athenis in Prytaneo ciues, propter singulare beneficium,

Reipub:



Reipub: præstitum, curis vacui alebantur; tu qui omnem cursum melioris vitæ, in tot legationibus regni consumpsisti, illarumq; curis, laboribus, vigilijs, senectutem tibi acceleraſti, nonè tantò æquius, ex hac vitæ conditione moleſta & laborioſa, in ocium & ſolitudinem, cum dignitate te conferre poteras? Equidem hoc tibi pro tua autoritate licitum fuit: ſed cum iam ante, vniuerſas fortunas, vitam deniq; & ipſum ſpiritum Reipub: ſaluti addixeras, noluiſti deeſſe optimi Regis voluntati, noluiſti requiſitum ſtudium denegare patriæ, duasq; grauiffimas legationes, tanquam pulcherrimas tuorum maximorum operum coronides in ætate matureſcente expediuiſti. Primum quidem enim ad Rodolphum Imperatorem II; deinde ad Beatiffimum Pontificẽ Clementem VIII. legatus profectus es. Quarum nobilitatis prædicationem, vnde potius exordiar? an à prudentia, quæ tibi in rebus difficillimis, tanquam Homericæ Pallas Vlyſſi, præſto ſemper adfuit? an à dexteritate, qua in rebus conficiendis plurimum valuïſti? an à ſumma vitæ integritate,



tate, innocentia, temperantia, animi magnitudine, cæterisq; virtutibus, quibus in his locis, tanquam decus & ornamentum Polonæ gentis splenduidisti? an à mirifica morum mansuetudine, qua omnium in te amores traxisti? an deniq; à communium literarum, ac politioris humanitatis scientia, quam in te ibi omnes, & agnoscebant, & admirabantur? Quodcunq; horum, si exorsus fuero, non tam suis laudibus exornare, quàm enarrare, citiùs orationem meam, à verborum copia, quàm rerum amplitudine, destitui posse confido. His rebus tam prudenter, ac prosperè absolutis, decreuisti fastidiosam deserere copiam, splendoriq; & strepitui, gloriosæ aulæ renunciare, nec ea bona persequi, quæ hæredi, æterni supplicij laqueos, induere consueverunt; sed quicumq; vitæ cursus restabat, eum in Christi saluatoris ministerio, illiusq; religionis propagatione cõficere statuisti. Et cum pro tuis amantissimis studijs, pro laborib' vtilissimis Reipublice nauatis maxima tibi præmia debebãtur, tu qui nulla priuata cõmoda patriæ inseruiēs querebas,

D

omnia



omnia speciosa abdicasti, religioniq; S. Benedicti constanter addictus, Abbatem te Plocensem fieri æquo animo tulisti. Iactat se P. R. de Fabiorum, Scipionum, continentia animi, quod hi in publicis negocijs magnifico sumptu utebantur, in priuatis verò minimo contenti, tenuissimo cultu viuebant: nos verò non iactabimus nos, de hac tua in vita priuata despicientia rerum, qui in negocijs regni, maximas opes circumferre videre? Et quidem tantò magis, quantò tu, hac ipsa cõtemptione, à magnitudine animi ducta, toties delatum tibi Episcopatum recusabas, nec ad eam dignitatem accipiendam, ornatissimorum Regni Senatorum, atque in his Cardinalis Radiuili, magni & consilij, & iudicij viri, persuasionibus, autoritate adduci poteras. Donec tandem Regis munificentissimi, & in conferendis dignitatibus prudentissimi, maieestas effecit, vt Archiepiscopatum Leopoliẽnẽ susciperes. Ex quo quis non videt? quanta hoc tempore inter omnes gaudia? quanta gratulationes vigeant? quàm fausta de tua salute omnia suscipiantur?

Gaudet



Gaudet nunc, in illa beatorum religione, & fan-  
ctimonia, ( ad quã illum demigrasse speramus )  
diuinus animus, optimi & sapientissimi Archi-  
præfulis, Ioannis Demetrij Solicouij, antecesso-  
ris tui, & præ alijs cælitibus lætitia exultat, quod  
sibi à tali succedatur, à quali maximè cupiebat,  
& qualem è vita discedens, illamq; æternitatem  
spectans, descripsit cum obtestatione, in extre-  
ma ad suum Regem voluntate. Gratulatur sibi  
eum dignitatis consortem, qui quemadmodum  
& ipse, cum imperio, dignitateq; Regni, pluri-  
mas easq; remotissimas regiones obiuit, maxi-  
maq; vitæ discrimina, pro salute communi adi-  
uit. Exultat, triumphatq;, quòd pietatis, cultus  
diuini, salutis animarum, diuinæque sapientiæ,  
parem sibi studio, & amore successorem fortia-  
tur: numenq; beatissimum, quòd coràm intue-  
tur, & cuius amore liquefcit, pro tuæ incolumi-  
tatis, & virtutum incremento supplex precatur.  
Gaudēt nobilissimi atq; bellicosissimi totius Ro-  
xolaniæ viri, quòd Archiepiscopū, nō modò ora-  
tionis splēdore, Iuris diuini interpretē, virtutis &



vitorū arbitrum, æternorū suppliciorū denūtiatorē, cælestis gloriæ præconem, sed ducem & autorem vita & exēplo habituri sunt: omnesq; erectis in Deum animis youent, breui te, propicio Deo effecturum, & sanctitatis & eruditionis celebritate; vt non modò Roxolania atq; Græcia, cognito errore, ad vnitatem religionis Christianæ redeant: sed reliquæ nationes, impio falsorum Deorum cultui deditæ, repudiata superstitione, Christo initientur. Gaudet, vehementerq; lætatur, Academia vetustissimaATRIX & alumna Principum, quod ab illius doctrina & institutione, ad hoc dignitatis culmen profluxeris, quod non pauci viri, illius monitis amantissimis instructi, cum dignitate, pietateq; commemorabili tenuerunt: & cū intelligat, perinultum Reipub: interesse, vt iuuentus, certissimum omnium ordinum supplementum, spes futuræ Reipub: bona fide, non simulata fedulitate, ad maiorum instituta, veteremq; disciplinam erudiatur, quantum ingenio, industria, labore, in summa rerum mediocritate cōniti potest, con-  
tendit



tendit atque elaborat : conaturq; etiam impendijs augere muneris largitatem, cum, qui maximus fructus & delectatio docentis est, alumnis disciplinæ, summæ potestates & imperia regni, mandantur. Quod vt tibi inprimis salutem, Ecclesiæ Dei honori, Reipub: Polonæ ornamento sit, & iam sacris aduoluta altaribus, conceptisq; votis exoptat, & in posterum, indictis tuo nomine supplicationibus, hæc eadem vt tibi integra ac perpetua seruet Deus, optimosque vitæ dies largiatur, fuis ad Deum Optimum Maximum, ex animo precibus exoptabit.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM D.

VOTVM ACADEMIÆ.

Magne parēs, numē supremū, immēsa potestas,  
 Tramite qui certo euoluis conuexa Polorum,  
 Alternâq; diem, tenebras & luce gubernas,  
 Omnes quiq; foues, vultu placidoq; serenas,  
 Qui cōmune bonū, laudis qui publicæ honorē  
 Consilijs augent rectis, ani moq; tenaci:  
 Militis aut sæui horrendum stridentibus armis,

D 5

Sanguin-



Sanguineã à Patriã arcētes, cum clade procellã:  
 Mentēs aut teneras, ad spem virtutis alendo,  
 Imperijq; decus, magnorum & facta parentum,  
 Blandis doctrinæ monitis, grauibusq; camœnis:

O Pater, ô Doctũm norma, ô Sapiētia vera,  
 Musarum soboles, sacriati interpres Olympi,  
 Oraclũm populi, regnorum gloria certa,  
 Mobilis ætatis moderatrix arte frequenti,  
 Orat adesse velis, in vota effusa precesq;,  
 Et cupit, vt dones quæ Antistite digna precatur,  
 Æmula quem virtus, flammis stimolata beatis  
 Magnanimũ Heroem de gente ZAMOSCHORVM,  
 Per mirãda rapit Sanctorum exempla virorum,  
 Ad studium pietatis auitum, ad ouilis amorem  
 Concessi rarum, ad fidei curamq; sagacem,  
 Atq; ad opes miseris in paupertate rogandas:

Da Pater, auspicijs lætis, primordia rerum,  
 Felicemq; inferre pedem, inlatumq; tenere  
 Optato cursu, suprema ad tempora vitæ:  
 Munere da fungi, cum nominis incremento  
 Hic & vbiq; tui: regionibus attamen illis  
 Quẽis summus Prætul, populo dat iura fideli:

Quem



Quem decus ingenii , Graiæ facundia linguæ,  
Romanusq; lepos , mirâ grauitate rotatus ,  
Et rerum pondus , fœcundo pectore manans,  
Relligioq; vetus, morum probitate relucens,  
Extulit ad gelidos illustri laude Triones :


Da vitæ soles decurrant lumine læto,  
Et vireat, defessa annis , renouata senectus,  
Da mentes hominū stygio ex prædone receptas  
Inferat ordinibus longis , ad lucida regna,  
Cœlicolūm & replet mortali sorte ruinas:  
Ipseq; da redeat longum expectatus ad astra ,  
Magnorum functus meritorum munere sancto,  
Luna velut Solis, virtutum luce refulgens,  
Te Pater, æternum spectans, sine fine fruatur.


















17.585

8117  

---

16



